

a presentibus periculis ac necessitatibus, discriminibusque reducendos, in tranquillum statum spectare, accomodaque et utilia esse videbuntur, omnem possibilem opem viresque, sine difficultate et Impedimento cum effectu prestetis.

Porro de virtualibus confidimus Vos eiusmodi prorsus ordinem datus, qui neque vlli nocumento prouincialibus istis, neque Gentibus nostris grauamini sit futurus, quin potius utilis et universis ad pacem et expeditionis Nostre militibus pro sustentacione tolerabilis. In qua re omnino habendam rationem illorum censemus, qui alioquin facultatibus suis malignitate temporis damna passi sunt et ad angustias quodammodo redacti videntur, ne illius oneris pondere graventur plus quam par sit.

De subsidio vero porigendo, Impositioneque facienda, videtur Nobis presentis tempus longe magis aptum esse, vti fiat Contributio, quam quod exspectetur donec necessitas maior vos opprimat. Nam quod deus auertat, si tunc primum cum hostis est pro foribus, remedia illa querere volueritis, serra admodum Collectio erit, credite nobis, Subsidiarum illarum, et non tanta haberi poterit propter Ingruentia mala. Nunc vero longe comodius est, vti congregentur ea in tempore, viaque meliori, quibuscum contra hostes apparatus fieri, periculisque propellendis prospici queat, Id quos Vos ponderaturos plane existimamus, quod si feceritis, non est dubitandum quin in eo Vos ita faciles et promptos exhibebitis, vti nedum nos cupimus, verum vestra propria utilitas exigit, officiumque Vestrum requirit, maxime, cum persuassissimum Vobis esse debeat, Nos Vobis et Regno isti Nostro, omni parterno et benigno auxilio, ope, Juuamine, Subsidioque nostro, in quocumque rerum euentu semper affuturos, et pro defensione adeo Vestra, tamquam fidelium Regnicolarum Nostrorum, tum corpus Nostrum, tum facultates exponere minime dubitatueros. Que vos cum de Nostro in Vos animo propenso in presentiarum ignorare noluimus, tum ad literas Vestras gratiose vobis respondenda duximus. Datum Prage Secunda Maji 1537.

Originale in c. r. secreto Archivio Viennensi.

### 1537. 27. DECEMBRIS. PRAGAE.

*Instructio a Ferdinando I. Rege Commissariis ad diaetam Croaticam, Crisiis A. 1538 servatam, deputatis, data.*

Ferdinandus etc.

Instructio de iis, que Egregius Paulus Bornemissa Secretarius Noster et Paulus Posel Heraldus noster, fideles nobis dilecti, super exactione Dice, que in Regno nostro Sclauonie, post Conuentum proxime in Crisiis ad festum trium Regum futurum, Nobis offeretur, agere debeat.

Quia in omni functione et rerum administracione fidem et diligenciam seruitorum requirimus. Itaque facta Regnicolarum nostrorum in Conuentu dicti Regni Nostri Sclauonie cum Oratoribus Nostris, quos illo missuri sumus, delibe-